

CAPUT XII ET ULTIMUM.

DE CONDEMNATIONE: POENARVM EXECVTIO-
NE: BONORVM CONFISCATIONE: SVM-
PTIBVS: APPELLATIONE: & BANNO.

CONTROVERSIA I.

*Quomodo sententia condemnatoria concipienda,
formanda & publicanda.*

SUMMARIUM.

Que in Ordin. Carolina prescribuntur obseruanda
Judici, & Assessoribus de concipienda Senten-
tia. 561.

Quid porro Judici agendum post sententiam conce-
ptam. eod.

Jure Bavarico, cum Assessores solum adsint ut testes,
non sunt Necessario requirendi. 562.

Quando Reo sententia ultimi supplicii sit denuntian-
da. 563.

Quid agendum ipso die, & hora publici iudicii exer-
cendi. 564.

Quid agendum, si Reus non vult se disponere ad mor-
tem. eod.

Agitur de hoc in Ord. Criminali Carolo-
lina. art. 92. & seqq. ubi Judici, & as-
essoribus prescribitur, ut post, causam
plene discussam, ac conclusionem, omnia Acta,
& producta in medium proferant, diligentissime
examinent, & ponderent, sententiamque sum-
ma cum accurate, & prudentia, prædictæ
Ordinationi criminali pro facti ejusque ratione
maximè conformem, & accommodatam, & ma-
leificio condignam meditentur, & in scripturam
redigant. Concordat Jus Bavaricum tit. 6. a. 2.
ubi præcipiuntur confessiones Rei, & quid-
quid Advocatus pro Rei defensione attulit, reci-
tari, vota à Judice colligi, ab Actuario diligen-
ter annotari, & juxta majora concipere sententi-
am, atque protocollo inferri.

Postquam sententia sic concepta, & forma-
ta est, & in scripturam redacta, Judex singulorum
Assessorum vota & sententias denuò desuper re-

quirere debet, in hunc ferè modum. Domine. N
sententiam hanc Juris esse existimas, & hoc cri-
men hanc in modum, & hac poenâ puniendum
ex animo credis, decernis? Ad quam interro-
gationem (urhabetur art. seq.) Assessores re-
quisiti responderè possunt in hunc ferè modum.
Domine Judex, ego pronuntio, jure sic fieri; &
sententiam conceptam Actis, & Juri conformem
calculo meo approbo. Alicubi solet, & rectè
Judex in sua interrogatione revocare in memo-
riam iusjurandum ab Assessore præstitum, & ab
Assessore sub iurejurando in memoriam revoca-
to responderi.

562. Jure Bavarico (ut advertit Casparus
Manzjus) Assessores non sunt requirendi neces-
sariò, quia hoc Jure Assessores Capitalis Judicij
non tanquam Judices, sed præcisè tanquam testes
adhibentur, nec sunt obligati ut suam dicant
sententiam, neque Judicem in concipienda sen-
tentia juvare tenentur, nec illi modum præscri-
bere possunt. tit. 1. a. 9. quodsi tamen alicubi mo-
ris est, ut Decuriones vel alij assessores vota sua
dicant, Judex cum illis certo die convenire de-
bet ad iudicium capitale secretum peragendum,
& quilibet illorù prius divinum auxilium ad hoc
invocabit, ut cognoscere, & statuerè possit quod
juri est. Deinde ubi convenierunt, Confessio-
nes Rei, & depositiones testium, & quidquid ad-
vocatus pro Rei defensione attulit, recitatur, Ju-
dex vota Assessorum exquirat, Actuarius annotat,
& quod per majora conclusam est, à Judice in
hoc secreto Judicio pronuntietur, & ab Actuario
in Protocollo annotatur,

563. Quando

CONTROVERSIA II.

*Ex quibus causis Executio poenæ
sit differenda.*

SUMMARIUM.

Regulariter loquendo executio sententiæ, & po-
enæ non est differenda. 565.
Referuntur quinque causæ, ex quibus potest sententia
differri. eod.

565. **R**egula est, quòd Executio poenæ post
condemnationem non sit differenda,
regulariter loquendo, quia talis mora nec Reipub-
licæ, nec ipsi Reo expedit. Non Reipublicæ,
quia fructus ex punitione, nempe aliorum tenor,
impeditur, & etiam sæpè reis antea præbetur ela-
bendi. Non Reis, quia diuturno carcere, sine
spe evadendi, & supplicij imminenti apprehen-
sione non leviter torquentur, ut non male Poeta
dixerit. *Morsq; minus poenæ quàm mora mortis habet.*
Variæ tamen assignantur à DD. causæ differen-
di quandoque executionem.

Imprimis, sicut sæpè ob periculum tumul-
tationis in plebe futuræ, solent Rei occultè
plecti, vel executio publica acceleratur, ita &
contingere solet, ut expediat eam differri, do-
nec hujusmodi tumultus sopiatur, & plebs quies-
cat.

Secundò. Contingit, ut reo jam con-
demnato repente innorescat novum ejusdem
crimen, gravius illo, propter quod est condem-
natus. quo casu differenda est executio, do-
nec de hoc novo crimine cognoscatur, ne alio-
quin fortè impunitum maneat.

Tertiò. Si post condemnationem offer-
ret se nova innocentie defensio, v. g. exceptio
contra testes, nam ut supra vidimus, favore
innocentiae semper, etiam post sententiam, ad-
mittitur defensio.

Quartò. Si spes sit apprehendendi compli-
ces, in hunc finem differretur executio, ut pos-
sint cum reo jam condemnato confrontari.
Quintò. Mulier prægnans non est suppli-
cio subijcienda donec pepererit, ut jam supra
dictum: imò & post partum non nisi elapsis
sex mensibus ad supplicium trahitur, nec etiam
ad fustigationem, ne noceatur proli lactandæ,
si quæ lactanda est. De ægrotis etiam superius
jam dictum est, agendo de tortura.

Ob defectum Carnificis ad hoc ex officio
constituti, non est necesse executionem differri,
si periculum aliquod esset in dilatione, potest
enim Magistratus ad hoc cogere aliquem vilem
T 2 hominem

563. Quando Reus ultimo supplicio af-
ficiendus est, & ad hoc condemnatus, sententia
est reo denuntianda triduo ante illius executio-
nem, & solennem publicationem, ut se condig-
nè ad mortem tam quoad sua bona temporalia
(nisi in casu quo hæc fisco cedunt) quàm quoad
animam disponat. In quem finem solet provi-
deri, ut à denuntiata sententia identidem habe-
ant præsentés viros Ecclesiasticos, qui illos in-
struant, & consolentur. Mandat etiam expre-
sè Imperator art. 79. ut Reo petenti SS. Euchari-
stiam, non denegetur, quòd etiam in Jure Bava-
rico præcipitur ut. 6. a. 3. quod tamen non fit ip-
so executionis die, sed præcedente.

564. Præsentè die, & horâ publici Judi-
cij exercendi, Judice & Assessoribus in Prætorio
vel Curia post pulsam campanam vel tubæ sonum
constitutis, & reo per Carnificem aut licetorem
adducto, mos est in quibusdam locis, ut reus pu-
blicè ab aliquo ad hoc constituto accusetur, & ab
alio defendatur, (prou in Palatinatu ipse spe-
ctavi) de Jure Bavarico tamen hujusmodi parùm
utilis ceremonia est abrogata. Ubi autem ea in
usu est, obseruanda sunt, quæ in Ord. Carol. ab
art. 88. usque ad 90. prescribuntur, nec huc re-
ferre vacat.

Postquam ergo in hoc ultimo, & publico con-
fessu Assessores iterum ex ordine vota sua dixe-
runt, & sententiam conceptam (ac jam antè in
secreto Judicio ratificatam) Actis, & Juri con-
formem approbârunt, Judex mandare debet,
ut Actuarius altè & intelligibili voce Sententiam
in scriptis recitet, nam ita consuetudine (contra
quàm Jure scripto) receptum est, ut Sententia
prolatio per Notarium fieri possit.

Latà & publicatà sententiâ ultimi suppli-
cij, secundum morem passim in Germania recep-
tum frangit Judex bacillum, in testificationem,
itâ actum esse de vita Rei, ut de bacillo. Deinde
carnifici reum commendat, & sub iurejurando
jam antè præstito mandat, ut sententiam fi-
deliter exequatur.

Queritur, quid agendum sit, si Reus non
vult se disponere ad mortem, non recipere Sacra-
menta, non ignoscere inimicis. Re. Si spes est
brevis obtinendæ conversionis, omnino execu-
tio esset differenda: si verò appareat pertinacia,
non differitur: & itâ vidi in Palatinatu pertina-
cem furem suspendi, nolentem ignoscere
complici, quantumvis veni-
am petenti.

hominem, vel aliquem alium captivum reum, vel aliquid mancipium, vel mendicium. arg. legis *Divus ff. de bonis damnatorum*. Solutis quinque aureis, sed in his observanda provinciarum consuetudo, & vix unquam desunt Carnifices.

CONTROVERSIA III.

An, & in quibus casibus Bona Damnatorum ad mortem confiscentur.

SUMMARIVM.

Iure Digestorum damnatus ad mortem passus est maximam capitis diminutionem. 566.
Item bona fisco inferbantur. Hac tamen abrogata sunt, excepto crimine Laesae Majest. 567.
An Reus hodie habeat testamenti factionem. 568.
An hodie solum in crimine Laesae Majest. confiscentur bona. 569.
Fugitivorum bona confiscantur. 570. (bus.)
An confiscatis bonis Fiscus praefertur alijs creditoribus.

566. **P**ermitendum est, Jure Digestorum damnatum ad mortem, servum poenae hoc ipso effectu esse, adeoque civitatem & libertatem amisisse, & sic maximam capitis diminutionem passum esse per ipsam condemnationem, ante executionem l. 29. ff. de poenis. [Qui ultimo supplicio damnantur, statim & civitatem & libertatem perdunt. Itaque praecipue hic casus mortem, & nonnunquam longum tempus occupat, quod accidit in personis eorum, qui ad bestias damnantur.] & alibi passim. Unde talis nec poterat amplius celebrare contractus, nec facere testamentum, nec ex testamento capere, nec nuptias celebrare &c.

Verum, haec correctae sunt & abrogata *Novel. 22. c. 8. ibi.* [Nos autem hoc remittimus, & nullum ab initio bene natorum ex supplicio permittimus fieri servum.

Praeterea eodem Jure Digestorum Bona sic damnatorum publicabantur, & fisco inferbantur. l. 1. ff. de bonis damnatorum. [Damnatione bona publicantur, cum aut vita adimitur, aut civitas, aut servilis conditio irrogatur.]

567. Hac tamen Confiscatio etiam sublata est *Nov. 134. c. 13.* (cujus verba alibi retuli) excepto crimine laesae Majestatis. Ceterorum ergo Bona hodie non publicantur, sed haeredibus proximis ab intestato vocatis reservantur. Idque confirmatum est in *Ord. Carol. art.*

218. Unde consequens est, hujusmodi condemnatos ante executionem poenae de bonis suis inter vivos quocunque modo, quo alij, disponere, contrahere, transigere posse, neque amplius vel servitute poenae, vel bonorum confiscatione impediri. Item, esse capaces hereditatis ad se ab aliquo propinquo devolutae, & bona condemnati ad haeredes ab intestato devolvi.

568. Dubium est, an habeat Testamenti factionem. Negant aliqui, adeo ut testamentum etiam ante condemnationem factum velint corrumpere. Fundamentum hujus sententiae est, quia inter ea, quae jure novo correctae sunt, hoc non legitur correctum: ergo adhuc quoad testamenti factionem obtinebit jus antiquum. Atqui Jure antiquo condemnatus non poterat facere testamentum, quia evasit servus poenae, & capitis diminutionem per amissionem civitatis & libertatis passus est, quo testamenti factionem non habere dictum est *tom. 2. in proprio loco.* ergo &c.

Confirmat hanc Sententiam Carpovius. Nam (inquit) licet una & altera ratio testamenti factionem impediens cesset, dum hodie damnatus ad mortis supplicium nec servus poenae fiat, nec Bona ejusdem publicentur, alia tamen ratio, quam, inquit, jam adduxi, adhuc in viridi observantia est. Sed nescio quanam sit illa alia ratio ab ipso adducta. Nam nullam aliam adduxit, quam capitis diminutionem. ergo cum ipsemet fateatur, per hanc non impediri testamenti factionem, nullam adduxit rationem per quam impediatur. Fortè vult dicere, quod servitus poenae non sit sublata plenè, sed solum quoad effectus supra enumeratos, nempe, ut possit contrahere, succedere ab intestato, & ad haeredes ab intestato transmittere sua Bona. Nam illa legis antiquae abrogatio facta est in favorem haeredum ab intestato, factio autem testamenti esset favor principaliter ipsi condemnato collatus. Quae ratio est probabilis. Et hanc Sententiam tenent cum alijs pluribus Covarruv. de Testam. p. 3. n. 43. Berlichius parte 3. conclus. 8. n. 3. Gail. lib. 1. de pace publ. c. 19. n. 18. Eandem ego secutus sum *to. 2. tr. 6. nu. 221.* & ostendi, malè à quibusdam citari in contrarium Clarum & Wesenbecium. Et nunc eandem confirmo ex eo, quia reverè etiam quoad successionem ab intestato non est totaliter sublata servitus poenae, quia solum ab intestato illis damnatis succedunt conjuncti usque ad tertium gradum, his deficientibus bona fisco adjudicantur: ergo cum jura nova nihil dicant de facultate faciendi testamentum, nec hanc videtur voluisse concedere.

Et haec quidem Jure scripto inspecto. Nam si Carp-

si Carpovio credimus n. 22. q. 135. hodie ferè ubique contrarium observatur de consuetudine generali; ita, ut & hi qui sunt decapitandi, plerumque in carcere faciant Testamenta, & instituant haeredes, qui ad successionem postea admittuntur, ut testatur Julius Clarus & alij.

569. Gravius dubium est, an Confiscatio bonorum hodie in solo crimine laesae Majestatis locum habeat. Non desunt graves AA. inter quos est etiam Decianus *lib. 9. c. 26. n. 33.* qui fortiter contendunt, esse alia crimina, in quibus hodièque confiscatio bonorum procedit. Ut autem cognosci possit, quanam illa sint, Clarus q. 78. pr. & quidam alij hanc subministrant regulam, esse illa crimina, pro quibus leges antiquae in specie, expressè, & principaliter hanc confiscationem statuerunt, ac proinde volunt, Jure Novellae solum illas confiscationes esse sublatas, quae antiquitus generaliter fiebant in omni delicto habente poenam mortis & deportationis, adeoque tacite & in consequentiam.

Dicendum tamen est, de Jure hodie in solo crimine laesae Majestatis bona confiscari. Ita Daniel Moller, quem refert & sequitur Carpovius. Probatur ex textu jam citato tum *Novellae 134. tum Auth. bona damnatorum c. de bonis damnatorum.* ubi generaliter prohibetur confiscatio, cum expressa exceptione Criminis laesae Majestatis. (ex quo textu resellitur subtile distinctio relata ex Julio Claro.) illis verbis. *In Majestatis vero crimine condemnatis veteres leges servari jubemus.*

Obijci possit ex art. 218. *Ord. Carolina,* ubi reprobatum consuetudo quorundam locorum, quae confiscabantur bona ob alia delicta quam laesae Majestatis, vel ea quibus poena mortis & confiscationis non est constituta. Ergo supponi videtur, esse alia crimina ob quae confiscantur. Respondet Carpovius, illam particulam, *vel, irrepisse, & esse auferendam.* quod vix credo. Alier responderi potest, Imperatorem noluisse tollere consuetudinem locorum, in quibus ob certa crimina atrociam locorum, in quibus poena confiscantur bona, sed solum illam, quae confiscabantur bona, & ad mortem damnabantur aliqui injustè, & qui talom poenam non sunt promeriti, & ita planè sonant verba.

570. Cum Conclusionem tamen stat, quod bona proscriptorum, qui sibi fugam consuluerunt, confiscantur; cum enim ob fugam non possint plecti in corpore, aequum est, ut plectantur in bonis.

Ex dictis bene deducit Carpovius contra Petrum Heigium, (quod & alibi dixi) si filius occidat Patrem, & ideo hereditate indignus evasit, tamen hereditatem non ad fisco devol-

vi, sed ad haeredes ab intestato; & accrescere cohæredibus, si qui fuissent cum occidore.

Quaeritur est, an, quando ob crimen laesae Majestatis bona confiscantur, Fiscus praefertur alijs creditoribus. Negative, ut constat ex alibi traditis. Nam Fiscus habetur loco haeredis extranei, & ideo non capit, nisi quod solutus debitis residuum est.

CONTROVERSIA IV.

Expensa in processu Criminali & executione facta, à quonam solvente sint.

SUMMARIVM.

Reo incarcerato non habente unde solvat expensas Judiciales aliorumque necessariorum, à quonam victus subministrandus. 571.
Teneretur Reus, ejusque haeredes, ad omnes expensas factas in ipsius defensionem, etsi inefficacem. 572.
Quis Reus puniatur poenâ solum civili. eod.
Quis condemnatur ad mortem vel aliam poenam san- guinis. 573.
Quis Reus moriatur ante Sententiam condemnationem. 574.
Sumptus in processu Ordinario à quo faciendi. eod.
Quis in processu Inquisitoris faciat sumptus. eod.

571. **R**eceptum imprimis usu est, ut Rei incarcerati non solum expensas Judiciales praestare, (si habent) sed etiam sibi met de victu aliisque necessarijs prospicere teneantur. Quod si reus non habeat, tunc si proprio motu Judicis incarceratus est, victus est illi subministrandus ex publico. l. 9. c. de Episcop. audient. ibi. *Victualium substantiam non habentibus faciant ministrari.* Si verò ad instantiam alicujus privati est incarceratus, sunt faciendae expensae ab eo qui petijt eum incarcerari. Hoc supposito 572. Dicendum est 1. Omnes expensas facere debet Reus, (quocunque tandem poenâ plectatur) vel haeredes illius, quae factae sunt ad defensionem ipsius Rei, etiamsi defensio fuerit inefficax. Colligitur ex art. 47. *Ord. Criminalis,* ubi jubetur Judex circa expensas Rei vel personarum conjunctarum inquirere in causas quas reus pro sui defensione allegat, nisi Reus, aut personae conjunctae tantam inopia laborarent, ut ab illis expensae fieri non possent, tunc enim jubentur fieri ex publico.

Dicendum

Dicendum II. Si Reus puniatur poena solum civili, ut carcere, Relegatione, vel multa pecuniaria, omnes expensas ipse Reus facere tenetur. Ratio est, quia talis non minus haberetur pro temerario litigatore, quam qui in causa civili succumbit, & absque probabili causa litigavit.

573. Dicendum III. Quando Reus condemnatur in poenam mortis, aut corporalem, seu sanguinis, nec ipse nec ejus haeredes tenentur ad refundendas expensas, quae in processu aut executione factae sunt ad intentionem Judicis, aut Accusatoris. Hujus conclusionis plures rationes adducit Carpzovius, quarum unica est efficax, nam ceterae nimium probant, & contra se habent primam Conclusionem, quam ipse Carpzovius admittit. Hujusmodi probatio est, quod mors omnia solvat: quod haeredes satis videantur puniri per Rei condemnationem ad mortem: quod hoc modo reus cogereatur quasi emere poenam sanguinis. His ergo praetentis.

Melius probatur hoc modo. Si Reus esset condemnandus in has expensas, ideo esset, quia posset haberi pro temerario litigatore. atqui defendens quantum potest sanguinem suum & vitam, non habetur pro temerario litigatore, adeo ut Jura non avertant, quod quis in tali causa adversarium suum corruerit. l. i. ff. de bonis eorum qui &c. [In capitalibus criminibus deceruntur est, non nocere ei, qui adversarium corripit: sed in his demum, quae poenam mortis continent. Nam ignoscendum censuerunt Principes ei, qui sanguinem suum qualiquam remedium voluit.] Ratio ulterior est, quia poena sanguinis non est aestimabilis pecunia, nec habet moralem comparationem cum summa pecuniaria, sicut habent poenae civiles, & ideo non habet locum ratio, quae pro secunda conclusione allata est.

574. Dicendum IV. Si Reus moriatur ante sententiam condemnatoriam, non tenetur ad refundendum expensarum ejus haeredes, etiam si fuisset ad poenam solum civilem condemnandus. Ratio est, quia fundamentum obligationis ad solutionem expensarum est ipsa condemnatio. ergo ante hanc non potest transcurrere obligatio in haeredes, quam ipse necum contraxit.

Dicendum V. Sumptus in processu Ordinario fieri debent ab accusatore, si quidem habeat in ere, secus a Magistratu. Ita art. 12. Ord. C. rim. Carol. ubi requiritur ab Accusatore cautio de satisfaciendo tum pro sumptibus, tum pro injuria, si quam forte inferat accusato.

Dicendum VI. In processu per inquisitionem Denuntiator ad viandam, & non ratione

proprie interesse, non tenetur ad faciendos sumptus judiciales, nisi expresse se ad hoc obliget. Ratio est, quia solum subministrat Materiam Inquisitioni ex officio faciendae. Atqui certa Regula est, quod quae Magistratum incumbunt ex officio faciendae, illa faciat vel suis vel filii sumptibus. ergo &c. Verum, in omnibus his consuetudo locorum praevalet, vel speciale Statutum.

CONTROVERSIA V.

An, & quando in Causis Criminalibus admittatur Appellatio.

S V M M A R I V M.

An à Sententia definitiva posse in criminalibus appellari. 575.

An à decreto torturae. 576.

An à sententia Carceris. eod.

Consuetudine Germaniae non admittitur appellatio in processu Inquisitorio. 577.

Limitatio hujus consuetudinis. 578.

Admittitur in processu ordinario interveniente accusatore. 579.

Assignatur ratio differentiae. 580.

Appellante Reo in processu ordinario ad quem spectat ejus custodia. eod.

575. Supponenda sunt & videnda, quae de Appellatione in genere dicta sunt tomo precedente, praesertim quod Appellationes manifeste frivola etiam in Criminalibus sunt rejicienda, & sententia executioni mandanda. Illis ergo suppositis

Dicendum I. A Sententia definitiva, spectato Jure communi, etiam in criminalibus appellare licet, & per appellationem suspendere sententiae executionem, eamque supponere vitio attentatorum. l. 29. C. de appellat. [Ad dictos supplicio, & pro criminum immanitate damnatos, nulli per vim atque usurpationem vindicare liceat ac tenere: quibus in causa criminali, humanitatis consideratione, si tempora suffragentur, interponenda provocationis copiam non denegamus.] & l. 2. C. quorum appell. non recip. ubi rejectis frivolis appellationibus subjungitur. [aequum est testibus productis, instrumentisque prolatis, aliisque argumentis praestitis, si Sententia contra eum lata sit, & ipse qui condemnatus est, aut minime voce sua confessus sit, aut formidine tormentorum territus contra se aliquid dixerit, provocandi licentiam ei non denegari.]

confessus sit, aut formidine tormentorum territus contra se aliquid dixerit, provocandi licentiam ei non denegari.]

576. Dicendum II. Etiam à decreto torturae, Jure communi, licet appellare, non obstante, quod sit sententia interlocutoria. Ratio est, quia executio illius infert damnum irreparabile. & expresse habetur in lege 2. C. de appellat. recip. [ante sententiam appellari potest, si quationem in civili negotio habendam Juxta interlocutus sit, vel in Criminali, si contra leges Juxta hoc faciat.]

Dicendum III. A Carcerationis sententia licet appellare etiam post lapsum decemium. Ratio est, quia incarcerationem habet tractum successivum, & infert continuum gravamen.

577. Dicendum IV. In Imperio per Germaniam consuetudine introductum est, ut in causis criminalibus, & processu Inquisitorio regulariter appellare non liceat, nec appellatio deferatur, sed ea remota post sententiam condemnatoriam latam statim pro Judicis arbitrio executio fiat in criminibus maximè capitalibus, quippe quorum cause in supremo Camerae Judio, ne quidem per viam simplicis querelae recipiuntur, ne criminum puniatio per moram evanescat. ut tradunt Gail, & alij relati à Carpzov. q. 139. n. 15.

Confirmata est haec Consuetudo Sanctione Caroli V. & Statutum Imperij in Recepto Imper: Augustin. de Anno 1530. ibi. [Cum ab aliquo tempore in causis Criminalibus frequenter ad nostram Imperialem Camerae appellatum, & appellatio recepta, processus institutus, & judicialiter actum sit, hoc verò antiquae consuetudini in Sacro Imperio adverteretur, fancimus & ordinamus, ut deinceps in causis criminalibus nulla appellatio recipiatur, sed inventerate consuetudini infistatur.] Et in Ordinatione Camerae Imperialis p. 2. tit. 28. ibi. [Quando item pristinae consuetudini contrarium foret, in criminalibus causis appellationem admitti, ordinamus ac volumus, ut porro in criminalibus causis corporalem poenam infligentibus, coram Imperiali nostro Judio Camerae nulla appellatio recipiatur, sed in hoc vetus consuetudo observetur.]

578. Additur tamen haec limitatio. [Veruntamen si quis coram nostro Tribunali Camerae conquireretur, in causis criminalibus, & corporalem poenam concernentibus, ipso non vocato, nec audito, & sic nulliter, aliasque adversus naturalem rationem, & aequitatem contra ipsum procederetur, ageretur, ac pronuntiaretur, ideoque principaliter super nullitate processus interpellaret, instaretque; siquidem tunc Juxta, cujus actus pars praedicto modo infirmatur, nostro Judio Camerae sine medio

est subiectus, interpellanti parti, hujus nullitatis gratia Citatio decernatur, ac Juri remedium impartiat. Et si ex deductione causae constaret, praedicto modo nulliter actum & pronuntiatum fuisse, tunc quidem causa principalis ad ordinariam potestatem, ad formaliter ac legitime in ea procedendum decernendumque, remittatur.]

Dicendum V. In processu tamen Ordinario, & interveniente Accusatore, & oblatore libello accusatorio, ac lite contestata, probationibusque utrinque deductis, si Sententia feratur, appellatio ad Magistratum superiorem admittitur. Ita Moller, & cum eo Carpzovius.

580. Queret aliquis I. Quanam stratio differentiae, cur in processu Inquisitorio non admittatur appellatio, sicut in Ordinario. Non invenio in Auctoribus responsum. Censio tamen esse bonam rationem differentiae, quod facilius contingere possit, ut per malitiam Accusatoris innocens injuste condemnetur, (cujus exempla plura habentur in S. Scriptura) quam per viam Inquisitionis, ut patet ex illis, quae antecedenter ad Inquisitionem legitime instituendam requiri supra retulimus.

Pro consuetudine autem non recipiendi appellationem in processu Inquisitorio, supposito jam dato discrimine, graves rationes sunt. Nempe ut praedictatur Reis mora differendi executionem, forte usque ad naturalem mortem, vel ut se aperiat via evadendi, vel per importunas supplicationes & intercessiones gratiam impetrandi, sicque delicta denique maneat impunita.

Quaeres II. Quando Reus appellavit in Ordinario processu, ad quem spectet illius Custodia, dum lis pendet. R. Custodia pertinet ad Juxta à Quo; donec appellatio recipiatur; quia lite pendente, an appellatio sit legitime facta, nihil est innovandum. Recepta appellatione transmittendus est reus ad Juxta ad Quem, nam tunc Custodia est pars Juxta Appellationis.

A P P E N D I X.

De Banno, ejusque Effectibus.

S V M M A R I V M.

Bannum quid sit. 581.

Bannum Imperiale quid sit. 582.

Tres alij modi bannendi. 583.

Quanam sint effectus Banni Imperialis. 584.

Effectus Banni specialis. 585.

§81. **V**arias divinant Interpretes hujus vocis derivationes, ut videre licet apud Andr: Gail: lib. 2. de pace publ. c. 1. qui tandem existimat, derivari à Germanico vocabulo *Bann*. quòd viam publicam sive territorium significat, quòd bannitus prohibeatur uti territorio & viâ publicâ omnibus communi. Latine idem est quod Proscriptio.

Itaque Bannum est pœna, quâ Reus ob crimen perpetratum, vel, si de eo necdum confessus aut convictus est, quia contumaciter abest, ob contumaciam in comparando cõceretur, proscriptio ex Provincia. Comparatur Banniti illis qui olim erant Deportati, vel quibus aquâ & igni interdictum erat. Habet etiam similitudinem cum Spirituali & Ecclesiastica censura Excommunicationis, quatenus privat communione juris civilis in eo loco ex quo bannitur.

§82. Duplex est Bannum. Unum Generale, sive Imperij, alterum alicujus Principis seu Status Imperij, vel Civitatis.

Bannum Imperiale & generale, seu Sacri Imperij Romani Proscriptio est Impetij Judicialis Censura, quâ delinquentibus, vel contumacibus aquâ & igni interdicuntur, ita ut à nemine in Clientelam, fidem aut amicitiam recipi, ab omnibus verò impunè, tam in persona quàm in bonis offendi possint; & à Solo Imperatore, vel, eo absente, à Rege Romanorum irrogari possit.

§83. Observat autem Carpzovius q. 140. n. 18. hodiè præter declarationem Banni ab ipso Imperatore factam extare adhuc alios tres modos banniendi. Primus fit in Camera Imperiali: Ubi si quis bannitur, petendè est acsi banniretur ab Imperatore, cum Camera hæctenus fuerit vice Præfeti Prætorio, à quo tanquam ab ipso Imperatore non licuit appellare. *l. un. ff. de Off. Præf. prætor.* & ideo sic bannitus perdit in Imperio omnia Jura civilia, ubicunque locorù.

Secundus fit à Judio Imperiali Rotvillano, quod tamen habet limitatam Jurisdicção-

nem & districtum, solumque extenditur in Alsatiam, Brisgotiam, usque ad Rhenum. Unde à Rotvillensibus bannitus si Moguntia; v. g. vel in Hassia institueretur hæres, vel ex forma statuti, vel ex forma juris communis, posset capere hereditatem: quia incapacitas ejus regulatur ad Jurisdiccionem Rotvillensium, quæ us ad illum locum non extendit, ubi facta est institutio

Tertius modus fit in Westphalia, cujus Imperiale Judicium etiam habet certos limites sicut de Rotvillensi dictum est.

§84. Effectus Banni Imperialis in specie sunt isti notabiles. Banniti testamentum condere non possunt, quod suam vim habeat in Imperio. 2. Successionem & hereditatem sunt incapaces, sicuti olim deportati. 3. Ex consuetudine Imperij omnia bona tam allodialia, quàm feudalia amittunt quæ habent de præsentis. omnia verò quæ ex hereditate bannito alioquin obvenierent in territorio banni, non fisco, sed aliis hæredibus ab intestato venientibus applicantur & accrescunt. 4. Incapaces fiunt Judiciorum, quæ etiam civilia sunt, nec non actionum, quæ in formatione sunt Juris civilis.

§85. Bannum speciale, & extendens se solum ad terminos territorij & Jurisdiccionis Bannientis, ad hoc ut inducat privationem Juris communis Romani, requirit, ut proscriptus expressè declaretur hostis patriæ, ut à quovis impunè offendi queat, ac positus sit extra omnem juris communis protectionem, absque hoc illum effectum privationis non habet, ne quidem in ditione illius à quo bannum irrogatum est, nec item operatur amissionem eorum, quæ vel ex privilegijs, vel jure statuario competunt, uti nec sui naturâ ademptionem bonorum, prout alijs relatis tradit Carpzovius n. 33.

Atque hic fit finis eorù, quæ mihi de Jure & Justitia scribenda constitui, ad majorem Omnipotentis Dei Gloriam, & utilitatem eorum, qui in materijs Juridicis Theologos legere non spernantur.

F I N I S.

REPER-

REPERTORIUM UNIVERSALE

IN SEX TOMOS

DE

JURE PRIVATO,

ET

JUDICIIS,

A

P. CHRISTOPHORO

HAUNOLDO

SOCIETATIS JESU

CONSCRIPTOS,

AB IP SO AUCTORE CONFECTUM.

U B I

Pro expedita inquisitione, imprimis Tomus, deinde Tomi
Folium, & in Folio Numerus Initialis,
annotantur.



INGOLSTADII.

Apud JOANNEM PHILIPPUM ZINCK, Typographum.

Anno M. DC. LXXIV.